

ILLVSTRISSIMO AC

SERENISSIMO PRINCIPI, ET

DOMINO, D. GUILHELMO, COMITI

Palatino Rheni, ac vtriusq; Bavariz
Duci, & c.

Christophorus Clavius e Societate I E S V.

S. P. D.



VM in hac rerum uniuersitate innume-
rabilia pene sunt, oculis hominum sen-
sibusq; proposita, quibus humi strata
mortalitas ad summi illius opificis con-
templationem possit exsurgere; tum
caelestium orbium, syderumq; species, & pulchri-
tudo ac moles ipsa, est eiusmodi, ut intuentium ani-
mos a terrenis, impurisq; cogitationibus ad subli-
mes, easdemq; iucundissimas facillime traducat ac ra-
piat. Nam & si Deus in minimis etiam maximus,
omnia suo implens numine, suam ubiq; uim ac be-
nignitatem ostendit; tamen, hæc quæ infra Lunam
sunt, caduca, ac fluxa, & commutationi perpetuæ
obnoxia (animis hominum exceptis, quibus ea cun-
cta deseruiunt) sempiternæ illius mentis perfectis-
simam absolutissimamq; naturam leuibus dumtaxat
uestigiis indicant. cælorum uero, & errantium præ-
cipue syderum cursus ille certissimus; & ipsorum
quæ ciuntur corporum magnitudine ac firmitate,
& qua-